



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LIV. An aliquæ creaturæ secundum proprias rationes formales
succesiue in Verbo videantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

*Dua opposita Thomistarum sententia, cap. 1.
Verior opinio, cap. 2.*

CAPVT I.

Dua opposita Thomistarum sententia.

EX ijs, qui docent, creaturas in Deo videri eadem visione, qua Dens ipse, non omnes eodem modo circa propositam questionem docent. Hi sunt Thomistae, qui in duas opiniones diuisi sunt: una est *Soti in 4. d. 49. q. 3. art. 2.* & recentiorum aliquorum Thomistarum, qui affirmant, tam species rerum creaturarum, quam singularia quae beati in verbo vident, simul ab initio beatitudinis videri; idem de orationibus, quae ad ipsos in tempore fiunt, existimant; & de omnibus mysterijs, quae in verbo vident; voicum autem est ipsorum fundamentum quia scilicet quae videntur in verbo, eadem visione videntur, qua ipsum verbum; sed visio Dei non patitur variationem, nec successione; ergo per illam non possunt successive temporis creaturae videri.

Porto visioni beatificae non posse successionem convenire, probant duplici testimonio August. Vnum est *lib. 8. q. 23.* ubi (inquiunt) docet August. visionis clarae Dei mensuram esse aeternitatem participatam; aeternitas invariabilis est verum id non voluisse docere August. eo loco fusius demonstravi supra disp. 36. cap. 2. Alterum testimonium est *15. de Trinitate c. 16.* quod assertit S. Th. in argumento, *Sed contra*, & magni faciunt ipsius discipuli; cum tamen revera S. Doctor non probet ex illo conclusionem suam, sed ut ei moris est, ad reddendam dubiam questionem illud afferat in argumento *Sed contra*; attingitur Aug. in aeterna beatitudine non fore nostras cogitationes volubiles, si autem visione Dei successive aliqua viderentur, ea esset volubilis, quanto magis ceterae cogitationes.

Mens tamen Augustini in eo cap. longe diuersa est; atque in primis, si id, quod Thomistae volunt, Aug. doceret, sequeretur in Beatis non futuras novas aliquas reuelationes, quod tamen est falsum, & contra eundem *S. Th. infra q. 57. art. 5.* qui plane concedit, Angelis reuelata fuisse mysteria aliqua decursu temporis; Aug. enim non de sola visione clara Dei, sed de omnibus etiam asserit, non futuras ibi volubiles cogitationes. Sensus vero Aug. ex superiori capite deducitur, ibi enim dixerat verbum nostrae mentis esse, quod nobis formamus, non quacunque cogitatione volubili, & discursiva, sed ea qua pervenitur ad id, quod scimus, quae perfecta est, tunc enim quasi parturimus conceptum, quem Aug. appellat verbum; addit praeterea, nec in Deo, nec in beatis esse verbum prius formabile cogitatione imperfecta, ut tandem perfecta formetur, & ideo negant Beatis volubiles, hoc est, imperfectas illas cogitationes, quamvis id non asseueret, sed sub dubio relinquat; verba illius, quae iam ex dictis facile intelliguntur, c. 15. haec sunt. *Quid est, inquam hoc formabile, nondumq. formatum, nisi quiddam mentis nostrae, quod hac atque hac volubili quadam motione iactamus, cum a nobis nunc hoc nunc illud sicut inuentum fuerit, vel occurrerit, cogitatur, & tunc fit verbum quando illud, quod nos diximus volubili cogitatione iactare, ad id quod scimus, pervenit.* Ergo nomine cogitationis volubilis, intelligit Aug. laboriosam, & cum discursu, & consultatione, quae nondum ad iudicium pervenit, quam cap. 16. dicit, in

Aa 2

Deo

sup. Gen. 1. c. 23. & 23. 10. 3.
2. Praeterea, August. dicit 8. super Gen. ad litteram, quod Deus movet creaturam spirituales per tempus, hoc est, per intelligentiam & affectionem. Sed creatura spiritualis est Angelus, qui Deum videt. Ergo videntes Deum successive intelligunt & afficiuntur. Tempus enim successionem importat.

Lib. 15. de Trin. c. 16. 10. 3.
Sed contra est, quod Aug. dicit vlti. de Trin. Non erunt volubiles nostrae cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes: sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.

Respondeo dicendum, quod ea, quae videntur in verbo, non successive, sed simul videntur. Ad cuius evidentiam considerandum est; quod ideo nos simul non possumus multa intelligere, quia multa per diuersas species intelligimus: diuersis autem speciebus non potest intellectus vnus simul actu informari ad intelligendum per eas: sicut nec vnum corpus potest simul diuersis figuris figurari. Vnde contingit quod quando aliqua multa vna specie intelligi possunt, simul intelliguntur. Sicut diuersae partes alicuius totius, si singulae proprijs speciebus intelligantur, successive intelliguntur, & non simul. Si autem omnes intelligantur vna specie totius, simul intelliguntur. Ostensum est autem, quod ea quae videntur in Deo non videntur singula per suas similitudines, sed omnia per vnam essentiam Dei. Vnde simul, & non successive videtur.

Ad primum ergo dicendum, quod sic vnum tantum intelligimus, in quantum vna specie intelligimus. Sed multa vna specie intellecta, simul intelliguntur. Sicut in specie hominis intelligimus animal, & rationale, & in specie domus parietem, & tectum.

Ad secundum dicendum, quod Angelis, quantum ad cognitionem naturalem, qua cognoscunt res per species diuersas eis inditas, non simul omnia cognoscunt. Et sic mouentur secundum intelligentiam per tempus, sed secundum quod vident res in Deo, simul eas vident.

c. 18. 4. Tom. de me. 10. 1.
Conclusio est: *Omnia, quae videntur in essentia Dei simul videntur.* Quae quidem conclusio, si intelligatur de creaturis secundum quod sunt ipsae Deus, ut pro tunc explicabimus dubium non est simul omnia in verbo videri; quia totus Deus simul videtur, & quicquid in eo esse dicitur. Si vero loquamur de illis secundum proprias rationes formales, difficultas est inter Doctores, an aliquae saltem decursu temporis videantur, quam breui disputatione examinabimus.

DISPUTATIO LIV.

An aliqua creatura secundum proprias rationes formales successive in verbo videantur.

Vasquez in 1. part. Tomus I.

I
Sect.
Prima opinio
Sect. & aliorum.

Fundamentum illius.

Augustini testimonium.

2.
Genuinus
Aug. verborum sensus.

3

Deo non esse, & ita non esse prius formabile verbum illius, quam formetur.

De nobis autem in beatitudine constitutis, postquam ibidem ostendit, verbum quod de Deo clare visio formamus, esse verum, & sine volubili cogitatione, statim productum: in fine eiusdem cap. 16. de alijs cogitationibus concludit in hæc verba: *Fortassis etiam volubiles non erunt nostra cogitationes, ab alijs in alias euntes atque redeuntes: sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus, tamen cum hoc fuerit, si hoc fuerit formata erit creatura que formabilis fuit, ut nihil iam desit eius forma, ad quam provenire deberet.* Hæc Augustinus: ex quibus præcipue apparet, non curare Augustinum an aliquid sciamus decursu temporis, sed in ipsamet re, quam cognoscimus, contendit, non esse volubilitatem cogitationum euntium, & redeuntium: ut explicatum est: nihil igitur probare possunt ex Augustino. Aliunde tamen existimo sine fundamento dici, nec sine absurdo defendi posse, ipsammet visionem beatificam mutari decursu temporis: quomodo autem id sit necessarium, si omnia non videntur, ab initio simul, cap. 2. monstrabimus, & hæc de prima sententia.

Secunda opinio Ferrar.

4

Scotus. Illius fundamentum.

Secunda sententia est Ferrar. 2. contra gent. cap. 59. § Sed remanet dub. asserentis species quidem rerum, quas Beati in verbo vident, eadem visione qua ipsum, omnes simul cum ipso ab initio videri; at singularia earum, posse successione temporis eadem etiam visione videri: in hanc opinionem referunt Dominicus de Soto & Thomista Scotum, sed quam ille secutus fuerit sententiam, sequenti ostendimus. Probat vero Ferrar. unica ratione, nam si id fieri non posset, eo esset, quod in ipsa visione fieri nequit variatio, quæ necessario deberet fieri, si successione temporis singularia viderentur: sed non est necesse, visionem aliquo modo mutari, ut ea sic videantur: ergo nihil obest, quominus eo modo cognoscantur. Potro id non esse necessarium, confirmat Ferrar. quia postquam visione clara videntur species, & essentia specifica rerum, singularia succedentia, sine mutatione intrinseca cognitionis, sola extrinseca denominatione in ipsa, ex variatione obiectorum cognosci possunt. Hanc sententiam Thomista communiter rejiciunt, quam nos sequenti cap. facili ratione confutabimus.

CAPVT II.

Verior opinio.

EX iactis fundamentis in disp. 50. præced. facili negotio colligitur, quo pacto, Beatis possint succedente tempore aliqua revelari: imo ipsa etiam in verbo videri. Ex Scholasticis vero nonnulli asserunt, ita indies, res in verbo videri, prout re ipsa eueniunt, ut ab initio simul non videntur: ita docent Bonavent. in 3. d. 14. art. 2. q. 3. Scotus & eadem d. q. 2. § Sed si ista, Marf. in 3. q. 10. art. 2. 3. parte art. nam de Christo affirmant, omnia futura in verbo cognouisse, non simul, sed habitu, ita ut succedente tempore legeret in verbo futura, ut placebat. Expresse tamen de alijs Beatis id ipsum tradunt Okam in 4. q. 12. art. 2. & in 3. d. 4. q. vnic. art. 1. notabili 3. Almai q. 1. art. 1. Maior q. 3. Alliacen. in 1. q. 1. Litera X. sed & S. Thom. infra q. 57. art. 5. & 2. 2. q. 83. art. 4. ad 2. & 3. p. q. 10. art. 2. & Caiet. ibidem.

Bonavent.
Marf.
Okam.
Gab.
Almai.
Maior.
Alliacen.
S. Thom.
Caietanus.
Improbatur
sententia
Ferrar.

Horum autem sententia, si intelligeretur, ut

eam secutus est Ferrariens, quem cap. primo retulimus, videlicet, quod eadem visione, successione temporis, aliqua viderentur, mihi nulla ratione probaretur. Quoniam fieri nequit, ut aliqua visione eodem modo se habente, sola ipsorum obiectorum mutatione aliqua actu repræsententur, quæ prius non videbantur: quomodo enim idem manens omnino in se idem, nunc actu repræsentare potest, quod antea non repræsentabat? mutatio vero non solum necessaria videtur, ut repræsentet aliquam speciem, sed etiam individuum; nam in individuo non est sola ratio specifica, sed etiam individuum, & singularis, & vnum ab alio re ipsa distinctum est. Quomodo ergo sine mutatione visionis, potest ea visione repræsentari res singularis, quæ antea non repræsentabatur. Adde, quod ut intellectus noviter incipiat videre, quod non videbat, novum effectum formalem habere debet, siquidem ex non vidente, fit vident, effectus autem formalis novus, sine nova forma esse non potest.

Quocirca ex citatis Doctoribus, Okam Gab. Almai. Alliacen. Maior, imo & Caietanus dicunt ea quæ videntur in verbo successione temporis, alia visione distincta, quam verbum ipsum videri: quæ vero ratione dicantur in verbo videri explicauimus disp. 50. cap. 7. Caietan. tamen inter alios citatos Doctores, putauit multa in verbo videri, ex vi visionis, quia ipsum videtur: & eadem cum ipso visione; & de hac docuit, omnia quæ in verbo videntur, à principio, & simul cognosci, ne in ipsa visione varietatem aliquam, & mutationem concederet; sed quia existimauit Caiet. optime quoque dici, aliqua in verbo videri, alia visione quam ipsum, de his etiam concessit successione temporis, non ab initio cognosci. Sic est intelligendus, S. Thom. alijs locis citatis, ubi asserit, Beatos in verbo aliqua decursu temporis videre. Atque in hunc sensum arbitror, locutos in vniuersum Scotum. Bonavent. & Marfilium, tamen ut cap. illo 7. notavi non se satis explicent; cum quibus ego quoque vniuersum verum existimo omnia creata, quæ Beatus in verbo videri, alia distincta visione, quam ipsum Deum videri: ac proinde successione temporis indies revelari. Quam sententiam hoc modo explicatam, tradiderunt Okam, Gab. Maior Almai. Alliacensis.

Quæ deinde in tempora videntur in verbo dicitur, si visione est vniuersum.

Scotus. Bonavent. Marfil. 7.

ARTICVLVS XI.

Vtrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur quod aliquis in hac vita possit Deum per essentiam videre. Dicit enim Iacob. Gen. 32. Vidi Deum facie ad faciem, sed videre Deum facie ad faciem est videre per essentiam, ut patet per illud, quod dicitur 1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum, & in enigmate: tunc autem facie ad faciem: ergo Deus in hac vita per essentiam videri potest.

2. Præterea, Num. 12. dicit Dominus de Moyse, Ore ad os loquor ei. Sed qui ore ad os loquitur Deo, palam, & non per enigmata & figuras, videt Deum. Sed hoc videre, est Deum per essentiam videre: ergo aliquis

65
4. d. 42. q. 4.
a. 7. q. 1.
q. 20. a. 11. q.
quod d. 1. q. 4.
a. 1. q. 3.
cont. c. 45.

aliquis in statu huius vitæ potest Deum per essentiam videre.

3. Præterea, Illud, in quo alia omnia cognoscimus, & per quod de alijs iudicamus, est nobis secundum se notum. Sed omnia etiam nunc in Deo cognoscimus. Dicit enim August. 12. confess. Si ambo videmus verum esse, quod dicis, & ambo videmus verum esse, quod dico: ubi quæso illud videmus? Nec ego in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate. Idem etiam in libro de vera religione dicit quod secundum veritatem diuinam de omnibus iudicamus. Et 12. de Trinitate dicit, quod rationis est iudicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales, & sempiternas: Quæ nisi supra mentem essent, incommutabiles profecto non essent: ergo & in hac vita ipsum Deum videmus.

4. Præterea, Secundum August. 12. super Genes. ad litteram. Visione intellectuali videntur ea, quæ sunt in anima per suam essentiam. Sed visio intellectualis est de rebus intelligibilibus, non per aliquas similitudines, sed per suas essentias, ut ipse ibidem dicit. Ergo, cum Deus sit per essentiam suam in anima nostra, per essentiam suam videtur a nobis.

Sed contra est quod dicitur Exod. 32. Non videbit me homo, & viuere. Glo. Quamdiu hic mortaliter viuere, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest.

Respondeo dicendum, quod ab homine puro Deus videri per essentiam non potest, nisi ab hac vita mortali separetur. Cuius ratio est: quia, sicut supra dictum est, modus cognitionis sequitur modum naturæ rei cognoscantis. Anima autem nostra quamdiu in hac vita viuimus, habet esse in materia corporali: unde naturaliter non cognoscit aliqua, nisi quæ habent formam in materia: vel quæ per huiusmodi cognosci possunt. Manifestum est autem quod per naturas rerum materialium diuina essentia cognosci non potest. Ostentum est enim supra, quod, cognitio Dei per quamcumque similitudinem creatam non est visio essentiae ipsius.

Vnde impossibile est animæ hominis secundum hanc vitam viuientis essentiam Dei videre. Et huius signum est, quod anima nostra quanto magis à corporali- bus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior. Vnde in somnis, & alienationibus à sensibus corporis magis diuinæ reuelationes percipiuntur.

Vasquez in 1. parti. Tomus I.

& præuisiones futurorum. Quod ergo anima eleuetur usque ad supremum intelligibilem, quod est essentia diuina, esse non potest quamdiu hac mortali vita vitur.

Ad primum ergo dicendum: quod secundum Dionys. 4. c. celest. Hierar. sic in Scripturis dicitur aliquis Deum vidisse in quantum formata sunt aliqua figura, vel sensibiles, vel imaginariæ secundum aliquam similitudinem aliquod diuinum representantes. Quod ergo dicit Iacob: Vidi Deum facie ad faciem: referendum est non ad ipsam diuinam essentiam, sed ad figuram, in qua representabatur Deus. Et hoc ipsum ad quandam prophetiæ eminentiam pertinet, ut videatur persona Dei loquentis, vel loquens Deus, licet imaginaria visione, ut infra patebit, cum de gradibus prophetiæ loquemur. Vel hoc dicit Iacob ad designandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis, supra communem statum.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus miraculose aliquid supernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam & supernaturaliter, & præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viuentium, sed non sensibus carnis videntur, usque ad visionem suæ essentiae eleuauit, ut dicit August. 12. super Gen. ad lit. & in lib. de videndo Deum. De Moysæ qui fuit magister Iudæorum, & Paulo qui fuit magister Gentium. Et de hoc plenius tractabitur, cum de raptu eius agemus.

Ad tertium dicendum, quod omnia dicimus in Deo videre, & secundum ipsum de omnibus iudicare, in quantum per participationem sui luminis omnia cognoscimus & iudicamus, Nam & ipsum lumen naturale rationis participatio quædam est diuini luminis, sicut etiam omnia sensibilia dicimus videre, & iudicare in Sole, id est, per lumen Solis. Vnde dicit August. 1. soliloquiorum, Disciplinarum spectamina videri non possunt, nisi aliquo velut suo sole illustrentur, videlicet Deo. Sicut ergo ad videndum aliquid sensibilibus non est necesse quod videatur substantia Solis, ita ad videndum aliquid intelligibiliter non est necessarium, quod videatur essentia Dei.

At quartum dicendum, quod visio intellectualis est eorum, quæ sunt in anima per suam essentiam, sicut intelligibilia in intellectu. Sic autem Deus est in anima beatorum, non autem in ani-

A a 3 ma

ma nostra, sed per præsentiam, essentiam, & potentiam.

Explicatio articuli.

Conclusio est, Homo purus in hac vita mortali, videre non potest Deum. eam varie intelligunt Thomistæ, primo Ferrariens, 3. contragent. c. 47. ita explicat, ut dicatur esse impossibile, Videre Deum sicuti est, vñ, & exercitio sensuum. Id quod rationes Sancti Thomæ in art. & cap. illo, evidenter probant. Sic autem vita mortalis idem est quod vñs ipsorum sensuum, quod si hoc modo conclusio intelligatur, vera est, non solum secundum potentiam ordinatam Dei; sed etiam secundum absolutam. Est enim ex se impossibile ministerio, & exercitio sensuum, Deum apprehendi sicuti est, quod spiritualis sit, & incorporeus. Quare neque hac via, intellectus ipsum sicuti est, videre potest.

In hunc sensum intelligunt S. Th. recentiores aliqui Thomistæ, & mihi sane expositio hæc summo opere placeret, nisi S. Doctor addidisset, *Ab homine puro*, id quod adiecit propter Christum, qui etiam in hac vita mortali, Deum clare vidit, qui tamen videri non poterat ministerio sensuum. Quare si per vitam mortalem intelligeret S. Th. sensuum operationem, non exciperet Christum ab universali doctrina, quam tradiderat, sed etiam ipsum comprehendere, quia neque secundum potentiam Dei absolutam, per sensum Deum videre poterat. Hæc quidem interpretatio optime quadrat in textum S. Th. illius c. 47. 3. contra gentes, quem solum Ferrariens. explanare contendit, non tamen in textum huius articuli, ibi n. non addidit exceptionem illam, quam in hoc art. adiecit, de puro homine.

Deinde alij putant, S. Thom. locutum fuisse in hoc articulo de potentia ordinaria Dei, non absolutam per vitam autem mortalem, non intellexisse sensuum operationem, ut dicebat præcedens opinio, sed vitam ipsam hominis corruptibilem. At igitur, dum in hac vita sumus, non posse Deum à nobis videri, quia potentia Dei ordinaria lege sua nemini ea visio communicatur, excipit autem ab hac regula Christum, & solum de puro homine conclusionem intelligit, hæc expositio tribuitur Caietano, quod tamen non satis mihi certum est, tamen si ea mihi summo opere placeat.

Contra eam tamen videtur esse, quod eadem ratione videtur S. Doctor in hoc articulo atque 3. contra gentes, cap. illo 47. videlicet de ministerio sensuum: ea autem probat, non solum secundum potentiam Dei ordinariam, sed etiam absolutam videri non posse Deum in hac vita, ut prædictum est. Respondeo ea ratione, aliquid probari secundum potentiam etiam absolutam Dei, nimirum ministerio sensuum Deum videri non posse: sed quia supponit, hominem in hac vita mortali non alio modo intelligere, quam ministerio sensuum secundum potentiam ordinariam; ideo non sequitur, secundum absolutam, sed solum secundum ordinariam non posse Deum videri. Et hac de causa dixit, dum sumus in hoc corpore, naturaliter nihil à nobis cognoscitur, nisi quæ habent formam in materia, hoc est, sensibilia: addidit vero, *Ab homine puro*, ut Christum exciperet, quia quamvis sensuum ministerio videretur, habebat tamen alium modum cognoscendi superiorem minime à sensibus pendente, ac proinde spiritualia optime co-

gnoscebat, & lumine gloriæ sibi communicato Deum videre poterat. Excipiuntur etiam ex mente S. Thomæ, Moyses, & Paulus, quibus putat, reuelatam fuisse essentiam Dei clare, sicuti est, id quod secundum potentiam Dei lege sua ordinariam, alteri non fuit concessum.

Præterea notanda est doctrina S. Thom. & explicanda, videlicet in somno, & alienatione à sensibus diuinas reuelationes aptius communicari. Reddit rationem, quia anima nostra quanto magis à corporalibus abstrahitur, tanto ad res intelligentes aptior fit. Hanc doctrinam & rationem acriter defendit Caietanus in hoc articulo contra Scotum, quem arbitratum Doctori sancto contraria docuisse. Ille enim in 4. d. 45. q. 2. §. Hic tenetur, circa finem illius, docere videtur, in somno hominem minus idoneum esse, ad spiritualia intelligenda, nam si eo aptior esset, quod ab operatione sensuum abstrahitur; sequeretur tanto fieri magis idoneum, quanto magis abstraheretur, atque adeo in somno grauiori multo aptiorem effici, quod videtur absurdum. Idcirco asserit Scotus, si consideremus virtutem internam animæ ad contemplandum spiritualia, in somnis non reddi magis idoneam ad intelligendum spiritualia: si vero attendamus externa impedimenta, & aptitudinem pronientem ex remotione eorum aptior est anima (inquit Scotus) in somno ut à Deo moueatur ad spiritualia intelligenda quia minus rebus ipsis sensibilibus distrahi potest. Hinc infert Scotus, maius esse miraculum reuelari veritatem in somnis, quam in vigilia, quia visus rationis ad diiudicandam veritatem viget in vigilia, in somnis vero quasi ligatus est.

Contra vero Caietanus censet alio modo sententiam S. Tho. explicandam esse ex mente ipsius q. 12. de veritate art. 9. & 2. 2. q. 172. art. 1. ad 1. nempe in cognitione duo esse, & receptionem illius, & iudicium de re cognita. Docet itaque S. Doctor, ex sententia Caiet. aptiorem esse animam in somnis ad recipiendam cognitionem, & reuelationes: ad iudicium autem ferendum de re, in vigilia: quia iudicium de re fertur resolutione facta, an ea, quæ intelliguntur consonent sensibilibus. Ceterum si vellet Caiet. pie mentem Scoti interpretari, neque eum sibi aduersarium habere; facile videre poterat, nihil ab hac doctrina Sancti Thomæ differre, cum enim inquit Scotus, aptiorem esse animam in somnis ex remotione impedimentorum exteriorum, non tamen à principio interno, plane intelligit, aptius posse recipere à Deo monente reuelationes, non tamen aptius iudicium ferre.

DISPUTATIO LV.

An Moyses in hac vita mortali clare viderit essentiam Dei.

Sententia Augustini, & S. Thomæ, cap. 1.

Moyses in hac vita non vidit clare Dei essentiam, sicuti est, cap. 2.

Ex Scriptura Exodi 33. Non solum non constat, Moysen essentiam Dei clare vidisse, sed oppositum etiam non obscurè colligitur, cap. 3.

Quod Moyses petierit illis verbis Exodi 33. Ostende mihi gloriam tuam, cap. 4.

Ex Numerorum 12. non constat Moysen fuisse clare reuelatam essentiam Dei, cap. 5.

CAP.